



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. I. Vtrvm gratia diuinæ reuelationis ad Deum in hac vita
cognoscendum, sicut ad salutem oportet, fuerit necessaria?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)



LIBER SECVNDVS.

DE NECESSITATE GRATIAE AD ACTVS DIVINI ORDINIS ELICIENDOS, SERVANDA SVPER- naturalia praecepta, & peccata illis con- traria vitanda.

P R A E L V D I V M.

1. *Neceffitas gratia ad actus natu- rales est in hoc rerum ordine quafi extrinfecca, ad fuperna- turales vero intrinfecca, & contr.*



ACTE NVS dictum est de necessitate gratiae ad actus ordinis naturalis, quae tota necessitas ex vulnere peccati originalis orta est, & ideo quafi extrinsecca, & aduentitia reputari potest. Nam licet homo in pura natura eandem gratiae necessitatem haberet, saltē ad non peccandum, & honeste viuendum, nihilominus secundum praesentem Dei institutionem, necessitas illa sublata fuerat, nisi lapsus naturae interuenisset. Praeter hanc vero necessitatem inuenitur alia magis intrinsecca, & per se consequens ad quamcunque intellectuale naturam creatam, ut ad beatitudinem naturam superantem, per opera illi proportionata tendere possit, quae opera vocamus actus diuini ordinis, de quibus per se primo dantur supernaturalia praecepta: & ad illos est necessaria gratia creaturae rationali, non ratione alicuius lapsus, vel vulneris naturae, sed per se propter excellentiam talium actuum, & ideo haec necessitas tam in Angelis, quam in homine in natura integra inuenta est. In homine autem creato in puris naturalibus non consideratur, quia licet in illo esset impotentia ad eliciendos illos actus proprijs viribus, tamen cum non esset ordinatus ad supernaturalem finem, illis actibus non indigeret, ideoq; absolute non esset illi talis gratia necessaria.

2. *Doctrina de necessitate extrinsecca eandem pene ad utroque alim.*

Hoc lib. so- lum agen- dum de ne- cessitate in- fira.

3. *De quibus praecipue a- ctibus tra- ctatio insti- tuatur.*

Nunc autem in statu naturae lapsae utraq; neces- sitas ad hos actus conuenienter eliciendos concurrat, quia & natura per se est impotēs ad efficiendos actus superioris ordinis, & vulnera peccati non tantum bonum vsum naturalium viriū impediunt, sed multo magis supernaturalium. Veruntamen impedimē- tum hoc proueniens ex peccato, fere eiusdem ratio- nis est in operibus supernaturalibus, quae in natura- libus, & ideo ad hanc indigentiam, ac necessitatem facile applicari possunt dicta in superiori libro. Qua- propter in hoc libro de intrinsecca gratiae necessitate ad actus superioris ordinis dicemus, & quia haec ne- cessitas in peculiari natura talium actuum fundatur, ideo quantum generalis doctrina permiserit, illam explicabimus, si qua vero difficultas bene operandi etiam his actibus ex originali peccato accreuerit, ob quam maior gratia ad illos necessaria sit nunc, quam ante peccatum, illam etiam declarabimus.

Suppono vero hos actus, qui per se postulant gra- tiae auxilium, praecipue esse intellectus, & voluntatis, nam per has potentias homo attingit Deum in se, est- que capax eius ut obiecti beatitudinis supernatura- lis, & ita ille potentiae sunt, quae obiecta supernatu- ralia, ut talia sunt, attingere possunt. Ac propterea etiam supernaturalia praecepta per se primo de his

actibus dantur; de externis vero non nisi quatenus ab his internis pendent, & ab illis solis, sicut oportet, imperari possunt. Ex quo facile quis intelliget, mate- riam huius libri coniunctissimam esse cum materia de virtutibus infusis, praesertim de fide, spe, & cha- ritate, & ideo non posse tractari, quin attingantur aliqua, quae de illis virtutibus disputari solent. Ve- runtamen ad hunc locum sola ea pertinent, quae ge- neralia sunt, & ideo quoad fieri possit, in illis tantum versabimur, ex his verò, quae sunt propria singula- rum virtutum ea tantam attingentes, sine quibus generalia explicari non possunt, & dicemus prius de his, quae ad intellectum pertinent, quia prior poten- tia est, deinde de his, quae ad voluntatem spectant, & obiter de inferioribus potentiis, quatenus aliquid gratiae participare possunt, delibabimus.

CAPVT I.

Utrum gratia diuina reuelationis, ad Deum in hac vita cognoscendum, sicut ad salutem oportet, fuerit necessaria?

Diximus in superiori libro, diuinam reuelationē per se non esse necessariam ad veritates naturales cognoscendas, ideoq; in homine non requiri neces- sariō ad aliquam veritatem in particulari, ac defini- tē, licet ad cognoscendas omnes sine errore, vel di- minutione necessaria sit homini praesertim lapsō. Nunc verò de veritatibus altioris ordinis tracta- mus, & duo inquiruntur, quae in titulo insinuantur, *huius capi- vnum est, an sint aliqua veritates, quae sine reuela- tione cognosci non possint. Aliud est, an illa reuela- tio, & cognitio sit ad salutem necessaria, quia vero utrunque in materia de fide, & in alijs locis Theolo- giae ex professo disputatur, ideo in praesenti breuiter, & per summa capita expeditur.*

In primis ergo suppono, aliqua diuina mysteria, hominibus esse ad cognoscendum proposita, quae sine diuina reuelatione cognosci non possent. Hoc certissimum est, traditurque à Theologis tractanti- bus de Trinitate, Incarnatione, Eucharistia, Vita æ- terna, seu Visione beata, & alijs potissimis mysterijs fidei, de quibus nos etiam in suis locis diximus. Nunc probatur ut ergo breuiter probatur primo ex illo Matth. 16. *Bea- tus es Simon Bariona quia caro, & sanguis non reuelauit tibi sed Pater meus. Et ex Paulo ad Rom. 1. Quod notū est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit, utique per creaturas, ut ex contextu constat, & omnes expo- nunt. Significatq; Apost. esse aliud, vel alia in Deo non ita manifesta, sed altiora mysteria, quae nisi reuelētur, cognosci nō possunt à creaturis, de quibus idē Paulus*

1. Cor.

Cap. I. Vtr. gratia diuinæ reuelationis ad Deum in hac vita. &c

367

1. Cor. 2. ait. Sapientiam loquimur in mysterio qua abscondita est. Et infra. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Spiritus autem omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Ratio autem, cur hæc non possint naturaliter ab homine cognosci, est, quia imperfectæ, & per sensum sumit cognitionem. Si vero vniuersalius de omni creatura intellectionali loquamur, ratio, ob quam multa non possunt ab illa creatura naturaliter cognosci, est, quia aliqua mysteria Dei per solos effectus naturales non manifestantur, vt mysteriū Trinitatis. Omnis autem creatura vi suæ naturæ solū potest cognoscere Deum, quatenus per effectus naturales inuestigari potest. Alia vero mysteria, quæ supra naturæ ordinem à Deo fiunt, priusquam hiant, nō possunt cognosci vt futura, nisi per reuelationem, quia ex libera Dei voluntate pendet, nec postquam facta sunt, quia neque per se cadunt sub obiectum intellectus creati, nec per effectus manifestantur, vt latius de Angelis tractatur i. p. q. 57. art. 5.

3. Secundo supponendum est, cognitionem horum mysteriorum, quæ per solam reuelationem notificantur, esse necessariam ad salutem. Hoc etiam est certum, & latius probatur in materia de fide. Nunc breuiter colligitur ex illis verbis Christi Ioann. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant resolum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Vbi in verbo cognoscant, subiungendum est, non solum in vita futura, sed etiam in præsentia, nam hoc modo ait Christus clarificasse Patrem, & manifestasse ipsius nomen hominibus. Si ergo vita æterna sumatur in rigore pro coelesti vita, sic cognitio huius vitæ dicitur esse vita æterna, non formaliter, sed causaliter, quia est radix, & origo illius, vt dixit Cyrillus libr. 11. in Ioann. capit. 16. & indicat Augustinus tract. 105. Si autem ipsamet cognitio huius vitæ dicitur formaliter vita æterna, intelligitur inchoatiue, vt ait Euthym. ibi. Et in vtroque sensu ostenditur ex illo loco, cognitionem Patris, & Filij incarnati, & consequenter etiam Spiritus Sancti, esse tam necessariam in hac vita, vt sine illa neque vita æterna in cælo obtineri, neq. hic prout expedit, participari possit.

4. Verum est, Augustinum sæpe tam verbum cognoscant, quam vitam æternam, referre ad visionem Dei claram, vt patet lib. de Spirit. & Liter. capit. 33. & lib. 2. de Liber. arbit. cap. 2. vbi aduertit, ideo non dixisse Christum, vt credat, sed vt cognoscant, quia de altiori cognitione loquebatur. Et in hoc sensu, qui est probabilis, testimonium illud nō probat intentum, tamen ibidem facit Augustinus, vnam cognitionem esse præmiū alterius, & consequenter cognitionem vig esse radicem alterius: & Christus in toto illo capite satis clare loquitur de cognitione viæ. Sed vltimus hoc confirmant verba Christi Ioan. 6. Omnis, qui auditur à Patre, & didicit, venit ad me. Audimus autem à Patre per reuelationem diuinam, iuxta illud, quod ibidem Christus allegat, Erunt omnes docibiles Dei, ex illo Isai. 54. Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino, vtique per Christum, & prædicatores eius, quibus ipse dixit Mat. vlt. Ite, docete omnes gentes, hæc enim doctrina quædam reuelatio est, vt infra dicam. Ratio vero, cur ad salutem sit necessaria cognitio illarum rerum, quæ non nisi per reuelationem haberi potest, est ex ordinatione diuinæ prouidentie, habet tamen fundamentum quasi connaturale in fine, ad quem natura intellectus ordinata est. Ille enim est supernaturalis beatitudo, in qua beati visuri sunt etiam profunda Dei, & ideo oportuit, vt in via aliquo modo ea præcognoscere, & quasi paulatim addicerent. Item quia hæc cognitio talium mysteriorum necessaria ad salutem, est cognitio fidei, vt iam dicam. Fides autem est ex auditu, auditus autem per verbum Christi, vt dicitur ad Rom. 10. Vnde et Trident. sess. 6. c. 6. dicit. Disponuntur ad usum diuinæ gratiæ excitati & ad iudiciū fidem ex auditu concipientes nomine autem auditus, & verbi Dei omnis diuina reuelatio comprehenditur vt statim explicabo.

Terrio igitur suppono id, quod proxime dixi, hanc cognitionem viæ ad salutem necessariam esse cognitionem fidei, nam licet possit Deus alijs modis se manifestare hominibus, nō solum in patria per speciem, sed etiam in via per scientiam infusam, vel per prophetiam, tamen hi modi extraordinarij sunt, & ad salutem singulorum non necessarij, & ideo de illis non tractamus, & quia si ad fidem est necessaria gratia, multo magis ad altiores cognitiones Dei. Quod ergo cognitio fidei ad salutem necessaria sit, de fide est, ex Paul. ad Heb. 10. Sine fide impossibile est placere Deo. Et ad Rom. 10. Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt. Et hoc etiam probant illa verba Christi Matth. vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Significans tam necessariam esse fidem ad salutem, sicut est Baptismus. Ratio est, quia hæc mysteria non possunt cognosci per scientiam naturalem, scientia autem infusa nec debuit, nec conuenienter potuit omnibus dari, & ideo postulata est cognitio quæ omnibus viatoribus communis esse possit, & ideo quandiu hic peregrinamur, per fidem ambulamus. Item oportuit intellectum captiuari in obsequium Dei, & vt credendo se disponat ad videndum, & quodam particulari modo per fidem visionem mereatur, vt latius in propria materia tractatur.

Ex his ergo concluditur, ad cognoscendum Deum in via, sicut oportet ad salutem, necessariam esse gratiam diuinæ, & supernaturalis reuelationis. Assertio principaliter est de fide, quam tradit Concilium Arausicum can. 15. vbi definit, neminem posse sine reuelatione Dei mysterium salutis conquirere. Et Trident. dicto cap. 6. Disponuntur (ait) ad iustitiam fidem ex auditu concipientes. Et infra. credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata sunt. Sumiturq. hæc veritas ex testimonijs sacre Scripturæ paulo antea allegatis. Item ex illo Matth. 11. Abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, & paulo inferius. Nemo nouit Filium, nisi Pater, nec Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare, & Ioannis primo. Vniuersus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Et c. decimo quinto. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. Et infra. Si non venissem, & loquutus eis fuisset, peccatum non haberent. Et infra. Spiritus veritatis ille testimonium perhibet de me, & vos testimonium perhibebitis. His enim omnibus modis diuinæ reuelationis necessitas declaratur, & sexcenta similia in Scriptura passim occurrunt. Vnde neque Pelagius necessitatem huius beneficii diuini negauit, imo illud solum, vel maxime gratiam appellabat, vt ex Augustino hæref. 88. & epist. 95. & lib. de Gratia Christi cap. 31. & lib. 2. cap. 26. & alijs frequentibus locis constat. Ratio item est ex dictis, quia ad salutem necessarium est cognoscere mysteria, quæ per rationem naturalem cognosci non possunt: ergo oportet, vt cognoscantur per cognitionem diuinitus datam, hæc autem cognitio debet esse fidei diuinæ, vt ostensum est, & magis infra probabitur, quæ fides nimirum in diuina reuelatione, propter quod dixit Paulus, Fidem esse argumentum non apparentium, ad Hebr. 11. ergo diuina reuelatio est in primis necessaria ad prædictā cognitionem.

Dices: multa credimus de Deo in hac vita, quæ naturali etiam ratione cognoscimus, nam Paulus dixit, Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, &c. Deum autem esse naturaliter cognoscimus, ergo saltem de his non est necessaria reuelatio. Respondemus, ad cognoscenda hæc per rationem naturalem, nō fuisse per se necessariam reuelationem, saltem respectu singulorum, tamen vt cognoscantur per fidem Christianā, eorum reuelationem necessariam esse. Quia cognitio fidei præstantior est, & certior, & ideo indiget altiori medio, Vnde quamuis hæc possint de Deo naturaliter cognosci, tamen quia illa sunt veluti fundamentū eorum, quæ supernaturaliter cognoscuntur, ideo necesse fuit, illa etiā supernaturaliter modo cognosci, & reuelari, quia non potest supernaturalis fides in iudi-

cio, & certitudine cognitionis naturalis per se fundari, vt tractatu de Fide latius declarabitur.

8. *Dubium 1. Et eius repositio.*
Sed quæret aliquis primo, quid nomine reuelationis intelligamus. Respondeo breuiter, intelligi omnem sufficientem fidei propositionem, siue interius tantum fiat, siue per exteriorem prædicationem. Vt hoc autem magis intelligatur, aduertito, ad cognitionem fidei duo esse necessaria, vnum est apprehensio rerum credendarum, quatenus homini proponuntur vt dicta à Deo, & cōsequenter vt credibilia ex testimonio diuino: aliud est assensio ad res propositas, in quo proprie fides ipsa consistit, iuxta illud Augustini, credere est cum assensione cogitare, libr. de Prædestin. Sanctior. c. 2. Interdum ergo solet reuelationis nomine hoc ipsum iudicium comprehendere, in quo sensu accipi potest, quod Christus Dominus Petro dixit Matth. 16. Caro, & sanguis non reuelauit tibi sed Pater meus, qui in cœlis est. Et capit. 11. Cui voluerit Filius reuelare. Hic vero non ita loquimur de reuelatione, sed priori modo, quatenus ad iudicium fidei necessario præsupponitur, sic enim contingit multis reuelari fidem, qui non credunt, quamuis sine præuia reuelatione nemo credat.

9. *Dubium 2. Et dubitatio de ratio.*
Secundo inquiri potest, an reuelatio hoc modo sumpta sit gratia. Et ratio dubitandi esse potest, quia Pelagius fatebatur ad fidem esse necessariam gratiam, per gratiam reuelationem intelligendo, & tamen in hoc grauiter reprehenditur ab Augustino, quod doctose de gratia loqueretur, vt veram gratiam negaret, vt patet ex dicta hæresi 88. & ex toto libr. de Gratia Christi, & ex epist. 106. & lib. 2. de Peccator. merit. c. 11. Et confirmari potest ex Ioann. 1. vbi gratia distinguitur à lege, Lex per Moysen data est, gratia per Christum facta est, Lex autem doctrinam, & reuelationem comprehendit, vt illi aequiparatur.

10. *Satisfit præcedenti dubio.*
Dicendum vero est gratiam generatim sumptam recte attribui reuelationi fidei, nam omne beneficium non debitum naturæ, & conferens aliquo modo ad vitam æternam, gratia merito dici potest, vt ex superioribus constat; hæc autem reuelatio est magnum Dei beneficium, vt per se notum est, & non est debitum naturæ, & est necessarium ad salutem, vt dictum est; ergo est quædam gratia Dei. Quod aperte sumitur ex Concilio Mileuit. cap. 4. dicente. Qui dixit, gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adiuuare, quia per ipsam nobis reuelatur, quid agere debeamus, & aperitur intelligentia mandatorum Dei, & non etiam quia nos iuuat, & c. anathema sit. Vtrumque enim donum Dei est, & scire, quid agere debeamus, & diligere, vt faciamus. Ergo etiam ipsa reuelatio est gratia, & donum Dei, & ita explicat Concilium, in quo Pelagius errauerit, & inde sumitur, quomodo intelligendus sit Augustinus. Reprehendit enim Pelagium, non quia reuelationem diceret esse gratiam, sed quia præter illam, nullam gratiam verè adiuuantem, & operantem confiteretur. Et ideo ad tollendam verborum elusionem, solet Augustinus distinguere gratiam à doctrina, loquiturque de gratia stricte pro illa, qua iuuamur, quæ solet dici gratia inspirationis, & adiutorij. Altera vero dici potest gratia reuelationis. Et hoc modo etiam lex supernaturaliter data à Deo, habet rationem gratiæ, & beneficii diuini, de quo Paulus ad Roman. 3. loquitur, cum dicit, fuisse Dei beneficium Iudæis collatum, quia credita sunt eis eloquia Dei. Estque hæc doctrina Augustini in expositione mystica Psal. 124. circa illa verba: Educens nubes ab extremo terra, vbi per nubes prædicatores verbi Dei intelligit, per quos Deus mentes excitat, vel ad timorem, vel ad poenitentiam, & gratiam. Et libr. 50. Homiliar. in 23. dicit esse gratiam Dei, non habere sua fides ad malum; ergo multo magis habere ad bonum. Et lib. 1. de Peccator. merit. ca. 22. inter singularia gratiæ beneficia ponit habere prædicatores verbi Dei. Idem docet Gregor. 20. Moral. cap. 10. & late Prosper fere toto libr. de Vocat. gent.

Exponitur
August. in n.
præced.

Exponitur
locus Ioann.
ibid.

Tertio inquiri potest, an hæc reuelatio ita sit gratia, vt sit etiam gratis data. In hoc enim etiam Semipelagiani errasse videntur, nam hominis meritis tribuebant, quod ei reuelaretur, seu prædicaretur fides, & quoniam sæpe contingit hominibus, nulla priora habentibus merita, fide prædicari, & quod magis est, etiam baptismum dari, vt aperte patet in infantibus, dicebant, hoc ipsum beneficium conferri propter futura merita præuisa, quia præuidit Deus illos fuisse bene vsuros illo beneficio, vt sumitur ex Prospero, & Hilario in epistol. ad Augustinum ante librum de Prædestinat. Sanctior. & ex Augustino eodem libro. Mouebantur autem illi, vt Deum defenderent ab acceptione personarum.

Vera tamen, & certa fides est, hoc beneficium esse gratuitum, id est, mere gratis, & sine vilo merito datum. Probatur in primis ex Paulo ad Galat. 1. Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris mee, vt reuelaret filium suum in me. Est ergo hoc beneficium ex solo beneplacito Dei. De quo etiam Christus Matth. 11. cum dixisset, Confiteor tibi Pater, vique ad illud, Et reuelasti ea paruulis, concludit. Ita Pater, quoniam sic fuit beneplacitum ante te, quia non ex hominis merito, sed ex diuino, ac puro beneplacito tantum bonum confertur. Facit etiam quod Actor. 14. & 16. gratiæ Dei tribuitur, attendere ad ea, quæ dicebantur à Paulo, & quod Isai. 65. dicitur. Inuentus sum à non querentibus me, & palam apparui ijs, qui me non interrogabant. Veritas etiam hæc in illis Concilijs intelligitur definita, & in illis locis à Patribus tradita, vbi statuunt initium fidei, & salutis gratis nobis dari, & non ex merito. Arafticam cap. 5. Trident. cap. 5. Augustin. toto libr. de Prædestinat. Sanctior. & q. 2. ad Simpl. & alijs locis infra tradendis, Prosper libr. 1. de Vocat. gent. cap. 23. & 24. Nam licet per initium fidei intelligatur, vel voluntatem credendi, vel vocationem ad fidem per internam inspirationem, profecto si hoc initium non cadit sub merito, ante illud nullum est meritum. At prædicatione, seu auditu, ac reuelatio fidei in hac vocatione includitur, vel ad illam antecedit: ergo multo minus potest cadere sub merito. Confirmatur, quia si tale meritum antecedere posset, illud non esset ex gratia, nam ante fidem nullum est proprium gratiæ meritum, vt supra tactum est, & infra contra Semipelagianos dicitur, ergo necesse esse potest ante reuelationem fidei esse ergo per naturæ vigorem, & multum conduceret ad salutem vitæ æternæ, quæ à reuelatione fidei pendet: hoc autem repugnat Concilio Araulicano cap. 7. & 8. ergo. Item iam habere homo aliquid, de quo gloriaretur tanquam de non gratis accepto, sed merito proprio sui liberi arbitrij comparato, contra regulam Pauli 1. Corinth. 4. Quid habes, quod non accepisti? Item iam sancta aliqua cogitatio esset ex nobis, & non ex diuino munere gratuito, contra Araftic. c. 9. de quo multa alia supra retulimus libr. 2. cap. 2. Vnde ratio à priori est, quia sola natura non potest aliquid supernaturale mereri, ante reuelationem autem nihil est, nisi sola natura. Præterquam quod ex ipsis effectibus est hoc fere evidens. Quæ enim ratio ex parte hominum gentilium reddi potest, ob quam ipsi potius, quam illis Euangelium annuntietur, & alijs citius, alijs tardius? Profecto nulla, cum omnes essent impij, & iniqui, & sæpe ad illos prius perueniat prædicatione, qui peiores sunt. Non est ergo hic meritum, sed gratia diuina, & beneplacitum, vt late probat Prosper libr. 1. de Vocat. gent. cap. 13. & sequentibus, & lib. 2. cap. 3. & sequentibus.

Quod vero Semipelagiani dicebant de futuris meritis sub conditione præuisis, multa continent absurda, quæ in discursu materiæ confutanda sunt, nunc latius indicare sufficit. Prius est, quod Deus præmiis, vel puniat opera, quæ nunquam erunt, solum quia sub conditione præuidentur, quod falsissimum, & impijssimum esse conuincit Augustinus libr. de Prædestinat. Sanctior. cap. 12. ex illo Pauli ad Roman. 14. Omnes

11.
Dubitum 1.
in quo resp.
nuda era.
nis et tag.

12.
Repositio
carbolica.

Confirmatur

13.
Ad sumptu
nunc latius
adnotat.

Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt vnusquisq; referat, prout gessit in corpore suo bonum, siue malum. Et ratio est euidentis, quia quæ nunquam futura sunt, neque possunt homini imputari. Item quia ad gratiam Dei pertinet, vt auferat occasionem, vel etiam vitam eo loco, aut tempore, in quo præuidet Deus fuisse hominem peccatorem, si talis occasio occurreret, vel si tali tempore viueret, iuxta illud Sapient. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Denique quia de eodem homine præuidet Deus peccatorem vno tempore, & alio recte operaturum, si viuat, cur ergo potius præmio, quam poena illum afficiat, si neutrum absolute facturum sit? Est ergo euasio erronea, & contra omnem rationem. Alius error Semipelagianorum erat, quia etiã posita illa præscientia, falsum asseruisse cōvincuntur ex verbis Christi Matt. 11. *Vt tibi Corozaim, & tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere penitentiam egissent.* Ex hac enim Christi sententia cōstat prædicatum esse Euangelium cum signis, & virtutibus ijs, qui non fuerunt credituri, & non esse prædicatū his, qui credidissent, si eis prædicaretur, vt notauit Augustin. in Enchirid. c. 95. & lib. 2. de perseuer. c. 9. & 10. & Prosper ad excerpta Genuen. respon. 8.

CAPVT II.

Vtrum ad credendum reuelatis specialis gratia Dei sit necessaria.

1. Error Pelagianorum, & Semipelagianorum fuit, idem non esse donum gratiæ Dei vere adiuuantis ad credendum, inspirando liberam credendi voluntatem, non tamen eodem modo in hoc errarunt. Quod vt intelligatur, sciendum est, actum credendi, cum liber sit, duos actus includere. Vnus est intellectus, scilicet, assentiri veritati propositionis: alius est voluntatis, nimirum velle assentiri. Pelagiani ergo dixerunt, vtrumq; actum posse viribus naturæ fieri, facta sufficienti reuelatione, & propositione obiecti, siue alio diuinæ gratiæ adiutorio pro sola credentis libertate. Et ante Pelagium fuit in illo errore Tiansius, vt August. refert lib. 3. de Doctr. Christiana. c. 33. Postea vero Semipelagiani dixerunt, post reuelationem, seu propositionem credibilem factam, in sola libertate positum esse velle credere, sicut velle non credere: ad credendum autem, sicut oportet, necessarium esse nouum gratiæ adiutorium. Et in hoc sensu dicebant, ad fidei actum esse necessariam gratiam, non vero ad voluntatem credendi. Quamuis aliqui eorum etiam aliquam fidem minus perfectam dicerent, esse ex nobis sine gratia, quam per gratiam perfici necesse sit, nisi forte ipsammet voluntatem credendi fidem imperfectam vocarēt. Ex quo tandem inferebant hanc gratiam, quæ ad recte credendū datur, nō mere gratis dari, sed ex merito illius voluntatis credendi, vel illius fidei imperfectæ. Hæc omnia constant ex dictis in Prolegom. 5. & ideo ea latius explicare, aut probare non est necessarium. Neque etiam illos errorum fundamenta referre, quia solum mouebantur, vel vt fidem liberam esse defenderent, vel vt Deum à personarum acceptione liberarent. De quibus sæpe iam dictum est, & de primo ex professo dicitur, tractando de concordia gratiæ, & liberi arbitrij. De secundo vero in materia de prædestinatione latè dictum est, in gratuita donatione propriorum bonorum pro sola voluntate, nullam esse personarum acceptionem.

2. At vero Lutherani, & alij Nouatores, cum in sola fide iustitiam nostram collocent, facile potuerunt in hoc puncto non errare, agnoscendo fidem esse donum Dei, & sine gratiæ auxilio non fieri. Verumtamen nihil certum in hoc dicere possum, & verisimilius credo, nil supernaturale de fide cogitasse præter extrin-

secum fauorem, vel acceptionem. Quia voluntatem credendi negant fieri posse à nobis libere, sed vel à solo Deo fieri in nobis, vel per voluntatem Dei nostram necessitari ad volendum credere. Vnde nullum aliud auxilium putant esse nobis necessarium ad illam voluntatem propter dictam efficaciam diuinæ voluntatis, quam in omnibus actibus humanis requirunt. Vnde nihil aliud de voluntate credendi, vel de ipso actu fidei cogitasse videntur. Eo vel maxime, quod cum dicant omnia nostra opera esse peccata, idem necesse est, vt de voluntate credendi sentiant, quomodo ergo possint ad talem fidem verum gratiæ auxilium postulare? Sed fundamenta huius erroris in sequentibus tractanda sunt, & ideo illum omitimus.

Dico ergo primo. Ad credendum sicut oportet ea, quæ diuinitus reuelantur, necessarium est ex parte intellectus speciale gratiæ adiutorium à reuelatione, seu sufficienti obiecti propositione distinctum. Est de probatur 1. fide, probaturque primo ex Scriptura. Nam Ioann. 6. ex scriptur. dicit Christus, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Statim vero exponit, quid sit venire, dicens: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt, credere ergo est venire, quid autem sit trahi explicat, dicens. Propterea dixi, nemo potest venire ad me, nisi ei datus fuerit à Patre meo.* Vnde inferius subdit, *hoc est opus Dei, vt credatis in ipsum.* Diciturque specialiter opus Dei, propter speciale adiutorium, nam per concursum generalem omnia sunt opa Dei. Atq; ad hunc fere modum expedit hoc testimonium August. tract. 29. in Ioan. & lib. 1. contra duas epistolas Pelagianor. cap. 19. idem probatur ex verbis Christi Ioann. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Vbi loquitur Dominus de operibus fructuosis ad salutem, de quibus statim subdit, *Qui manet in me, & ego in eo, his fert fructum multum.* Et loquitur de se non tantum, vt est Deus, sed etiam vt est homo, & redemptor, vt patet ex illis verbis: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est, vt intelligamus, virtutem & auxilium gratiæ ab ipsius meritis proueniens necessarium esse ad hæc opera, vt videri potest in Augustino ibi tract. 80. & Hilario lib. 9. de Trinit. & sumitur ex Tridentin. cap. 6.*

Præterea hæc assertio est principaliter intenta à Paulo in epist. ad Rom. in qua præcipue ostendit iustitiam esse ex spiritu fidei, & non ex lege, vnde ait cap. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo, docens, non esse facis doctrinam, aut reuelationem, nisi accedat spiritus, & gratia Christi, quæ est per fidem, vnde subiungit, iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi.* Et ideo concludit, iustitiam veram non esse per legem factorum; sed per legem, & spiritum fidei. De quo ait c. 12. *Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Expresse ad Ephes. 2. *Saluati estis per fidem, & hoc nō ex vobis, donum enim Dei est ne quis gloriatur.* Cui consonat illud 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti, & ca. 7. Misericordiam consequutus sum, vt sim fidelis, non dicit, quia sum, sed vt sim, vt intelligatur misericordia prouenire, vt considerat sæpe Augustinus.* Vnde ad Philipp. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, &c.* Deinde Actor. 13. *Crediderunt quotquot præordinati sunt in vitam æternam.*

Præterea definita est hæc veritas contra Pelagium in Concilijs Mileuitan. cap. 4. & 5. generatim de operibus pietatis, & in Africano canon. 17. & 18. Araulic. cap. 5. & 6. & Trident. sess. 6. canon. 1. 2. & 3. & traditur à Celestino in epist. 1. ad Episcop. Galliar. cap. 10. Leone Papa epist. 84. aliàs 86. & ab Innocent. 1. in epist. ad Episcopos Africa 25. & sequentibus, & apud Augustinum 93. Et de hac veritate videri potest Augustinus vltra citata loca in lib. de Spirit. & liter. capit. 31. & sequentibus, & q. 2. ad Simplic. & epistol. 90. & sequentibus, & toto lib. de Prædestinat. Sanctior, & de Bono perseuerant. in principio, & cap. 19. & lib. 1. de Grat. Christi, & alia loca statim referam. Et Fulgentius lib. de Incarnat. & grat. c. 17. & sequentibus. & lib. ad Moni. capit. 15. & Prosper lib. 1. de Vocat. gent. cap. 3.